

Epistola anatomica, problematica, quarta et decima / Authore Mauritio à Reverhorst ... Ad ... Fredericum Ruyschium.

Contributors

Ruysch, Frederik, 1638-1731.
Reverhorst, Maurits van, 1666-1722.

Publication/Creation

Amsterdam : Jansson-Waesberge, '1732' [i.e. 1744?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t7mk8kms>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EPISTOLA
ANATOMICA, PROBLEMATICA,
QUARTA & DECIMA.

Authore

MAURITIO à REVERHORST

Med. Doct. & Anat. Professore.

Ad Virum Clarissimum

FREDERICUM RUYSCHIIUM,
DE

Nova Artuum decurtandorum Methodo.



AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIIOS,
MDCCXXXII.

EPISTOLA
NATOMICA PROBLEMATICA
QUARTA & DECIMA

Auctore

MAURITIO REVERHORST

Med. Doct. & Anat. Professor.

Ad Virum Clarissimum

FREDERICUM RUYSSCHIIUM

DE

Nova Artium decurandorum Methodo



AMSTELÆDAMI

JOHANNES WASSERBERGII
MDCCLXXII

Clarissimo Doctissimoque Viro

FREDERICO RUYSCHIO, &c. &c. &c.

S. P. D.

MAURITIUS à REVERHORST.

Literæ tuæ nuper ad me datæ gratissimæ fuerent, præcipue quum ex adjectis relationibus circa Methodum secandi Fratris *Jacobi de Beaulieux*, vulgo Eremitæ, intelligere licuerit, qualem successum in suis patientibus, vestra in civitate, habuerit, quum de illo tam varie apud varios disseratur; hi enim Manum ipsius in secando tanquam optimam, dexterrimam & quasi coelitus datam deprædicant; alii contra ipsam pariter cum fama ipsius rejiciunt, foedisque proscindunt convitiis, quum nos tamen æque ac illi, quibus Lugduni Batavorum cura illorum patientum mandata fuerat, satis felices in curatione fuimus; quippe è tredecim diversi sexus & ætatis, tam a Calculo, quam diversa Herniarum specie lectis, non nisi duo satis cesserunt, ambo quinquagenariis majores; quorum prior a diuturno Vesicæ ulcere, macie confectus, quin & Calculo ipso satis magno, aspero & inæquali, non nisi cum insigni Hæmorrhagia extracto, intra novem hebdomadarum spatium, usque eo pristinae valetudini fuit restitutus, ut ille, qui antea nimis doloribus, continuisque vigiliis & Vesicæ ulcere attritus, & pene consumptus erat, jam multo obesior appareret, quin etiam jam urinam ad aliquod tempus retineret, & per cubiculum suum obambulet, & mu-

nia sua in ipsa officina (faber enim ferrarius erat) utcunque obiret; adeoque, si in ullo patiente salutis spes afflueret, hic in nostro fuit, qui tamen ex Incendii alicujus terrore è lecto suo profiliens, variisque in diæta erroribus commissis, incidit primo in Febrem continuam cum tussi, a qua corporis vehementi agitatione, vulneris labia, jam fere coalita, iterum disrupta fuere, & variæ Calculosæ incrustationes, ab urina perfluente sese continuo lateribus apponentes, nostræ curationi remoram injecere, dum interim in urethra ipsa, variis in locis Carunculæ obortæ, liberum urinæ effluxum prohiberent, sic ut reliquis Symptomatibus cum Febri auctis, hic noster patiens vitam cum morte commutaverit: quid autem in corpore ipso latuerit, Cultro Anatomico indagare nobis non licuit: Quid vero notaverimus in altero nostro patiente, itidem ab illo a Calculo secto, cujusque cadaver a nobis inspectum est, a Petro Adriani Verduyn, ejusve Filio absque dubio intellexisti, tam de statu ipsius corporis morbofo, utpote antea Apoplectico, Mictu cruento, & nonnunquam Urinæ suppressione laborante, nec non Hernia ejus intestinali, operationis tempore prolabente, ut & altero rene ab ulcere consumpto, cæterisque præter naturam in corpore repertis, & observatis, unde hoc infelix omen satis prævisum fuit: hæc & pleraque alia, hunc casum spectantia, & notatu dignissima, non dubito quin intellexeris, quocirca longiori narratione illa de re hic supersedebo, cum adhuc ex dictis illis tredecim patientibus, D. T. O. M. sit gloria! undecim qui vivunt valentque, satis de illa secandi Methodo testari possint, interim nullus etiam dubito, quin suo tempore aliquis Gallus, aut alius, qui ipsius secandi Methodum pernoverit, quique politioris styli est ac dictus Eremita, hanc ejus methodum contra sinistros ejus famæ obrectatores sit defensor, uti ex nuperis litteris ex Arce Versaillia ab ipso ad nos missis non obscure colligere potuimus, ubi simul, sed obscurius, loquitur de nova Hernias (absque Testis jactura) secandi Methodo, quam se jam aliquoties instituisse perhibet, quæque multas ob causas antiquæ præferenda foret, uti
dies

dies docebit : Sed hæc de Eremita ejusque litibus, quas uti meas non facio, ita quoque illas componere nolo, progredior ad aliam, & novam quoque, seu nuper propositam in illa arte (videlicet amputandi) Methodum, quam P. A. Verduyn nuper proposuit, variisque experimentis ab illo tempore, ipsi oblatis, confirmavit, qua de Methodo tanto lubentius tecum agam, quoniam illam nuper Amstelodami, Te presente, a P. A. Verduyn, ejusque Genero & Filio, præclaris illis Rei Chirurgicæ luminibus, ipsam institutam vidi, eademque Amputatio apud nos quoque paulo post, non in Manu, non in Juvène, non nova illa Methodo, sed in Pede, in Virgine, idque antiquo modo instituta fuit a Stephano de Rouw, & Adolpho Stukery, juvantibus Abrahamo van Kervel, & Everardo van Ourik, Chirurgis apud nostros in sua arte non parum versatis, spectantibus vero, seu potius patientis curam habentibus, Jacobo de Bye atque me M. D. S.

Casum nostrum prius ego hic exponam, deinde quid a Te, vestro in Casu, desiderem, addam.

Virgo triginta duorum annorum ante hos decem undecimve annos ab unctione dextri pedis circa talum diu male tractata, & ut in adustis nunc his, nunc illis remediis adhibitis, aluit ab illo tempore, hac in parte, ulcus cum Carie tam Apophysis ipsius ossis Tibiæ, Fibulæque, quam reliquorum adjacentium ossium totius Tarfi, interim jam hac, jam illa in parte, aliqua curationis spes affulgebat, sed quod ad cæteras corporis functiones recte se habebat, & quamvis usu hujus pedis male affecti (ut pote plerisque Ligamentis, quæ hæc ossa alias continent, jam ab ulcere consumptis digitisque versus terram omnino & præter naturam protractis) destituta esset, tamen beneficio scipionis satis bene sese movebat, adeo ut Scalas quoque prompte conscenderet, cæterisque suis muneribus alacriter fungeretur; interim nescio quo malo lapsum patitur, ex quo ossa illa, præcipue Calcis, non tantum fracta, sed & tota corporis mole desuper incidente, omnino comminuta fuerunt, cum tanto Sanguinis profluvio, ut vix evasura videretur, quo tamen sublato, & vulnere pro temporis ratione

tractato, nec ulla restitutionis spe, nec pedis usu affulgente, unanimi consensu in illud omnes convenere, ut ille pes paulo infra Genu rescinderetur; quæ operatio quamvis dextra pariter atque celeri manu instituta fuerit, quin etiam ipsa Curatio satis feliciter pro tempore succederet, optatumque eventum polliceretur, contrarium tamen videre coacti fuimus; nam præter continuos & fere intolerandos dolores, tam in parte affecta, quam jam ablata, de quibus continuo conquerebatur, incidebat primo ante justum tempus in Mensium fluxum, cum magnis intestinorum Cruciatibus, & assiduâ dejectionibus, qui simul ac componebantur ac sistebantur, statim conquerebatur de Faucium anxietate, & Respirandi difficultate, quod in principio pro Passione Hysterica, utpote malo ipsi familiari, habebatur; sed Colli dolore, ejusque motu molestiore, & Masticatione æque ac Deglutatione aliquo modo impedita, cum aliqua oris Clausura, & Musculorum Faciei distorsione, aliud cogitare cœpere, præcipue illi, qui una nobiscum ex patientibus, ab Hernia Intestinali ab Eremita sectis, quique jam salutis proximi videbantur, nihilominus lethale utplurimum extitisse, fuerant comperti, illi, inquam, qui hoc antea nobiscum notarant, non sine ratione utut laudabilia omnia in vulnere apparerent, nihilominus aliquid sinisteri ominabantur, præcipue cum enarrata Symptomata neque externis, neque internis remediis minuerentur, sed contra febris magis intenderetur, quinetiam jam quoque de difficultate tam in reddenda urina, quam in excludendis alvi faecibus conquereretur, quod malum tamen applicatis Clysteribus aliquo modo levare videbatur; hoc non obstante, doloribus tam in abdomine, quam in parte jam ablata (præcipue ubi Ulcus fuerat; hæc enim pars continuo ipsi in animo versabatur, utpote nervi, nervosæque partes terminum suum jam in vulnere ipso obtinentes, & aëris incommodis aliisque injuriis externis obnoxia, jamque male affecta, hanc menti ideam obtulere) his, inquam, cum febre & delirio magis auctis, huic nostræ patienti mors sæpius optata finem dolorum imposuit.

Quid

Quid jam dicemus de dextra in operando manu? Curatione ad tempus satis felici? Si tam tristem eventum obtineant; quare non tantum cum Hippocrate in suis Aphorismis notare debemus *Experimentum periculosum esse*, atque idcirco alia excogitanda media, quibus tam infelici successui, cæterisque Symptomatibus enarratis obviam eamus; hæc enim omnia quis dicet non provenire ex Nervorum nervosarumque partium consensu atque cohæsione? Quæ in hac extirpatione vel continui Solutionem patiuntur, vel alio modo male affectæ, disruptæ, dilaceratæ, vel ab aëris injuriis minus sunt vindicatæ; an non illa Methodus, quam P. A. Verduyn nuper proposuit, quamque in Tua præsentia ab ipso satis feliciter institutam vidi, an non illa, & quibus modis, antiquæ præferenda foret, utpote ubi Curatione non tam diuturna, neque dolor post operationem tantus, nec tum quoque talis Hæmorrhagiæ metus, nec ossis separatio expectanda venit, & Nervi nervosæque partes, Tendines earumque Fibræ & Vasa ipsa jam tecta, & a frigore cæterisque molestiis & incommodis externis ab applicata Musculorum partium mole satis conservata videntur: non quod ego hic novam illam Methodum, solum quia nova est, introducere velim, sed quod in curatione sit minus dolorifica, paucioribusque Symptomatibus stipata, an non ideo amplectenda, veterique præferenda videretur?

Jam nihil est quod avidius expectemus, quam ut tua illa Observatio in lucem prodeat, & quid in Curatione ipsa acciderit, & quot quibusve modis antiquæ Methodo aut præferenda aut postponenda veniat hæc nova, tam respectu doloris, & moræ in Operatione ipsa, quam reliquorum Symptomatum post ipsam institutam, nec non intumescentiæ illorum Musculorum, quibus Ossium, & reliquarum partium extremitates tegendæ veniunt; quod ad reliqua non dubito, quin Manum ipsam amputatam dexterrima tua Methodo contra omnem interitum defensurus, ærique, uti assoles, incidendam daturus sis, idque si fieri possit, forma naturali, cum alias Judicium non tam accurate ferri possit, uti in Severino Lib. de nov. observ. ablc.

absc. Similem-fere Casum proponente liquido apparet: certiores sine dubio nos quoque facies de qualitate illorum tumorum, qui sese in manu offerebant, & an Cartilagineæ, an Osseæ, an vero (uti Cl. Pechlin. Obs. Lib. III. Obs. XLVI. habet) glandulosæ indolis fuerint, nec non quibus cum partibus cohæreant, seu potius, unde primum originem sumpserint, cuique natales debuerint, an propriis vasibus ab ipsis primordiis, una cum forti imaginatione tempore Gestationis, his tumoribus a natura datis, an ex communibus, an ex tendinibus earumque involucris, an ex perioestio, an vero ex osse ipso, tanquam ex fonte, & prima Scaturigine principium suum duxerint; uno verbo, quid solita tua solertia in eruendis corporum abstrusissimis mysteriis ulterius detexerit, avidi a Te expectamus; interim ut diu vivas, valeasque, & Artem Anatomicam novis & hætenus inauditis tuis inventis ulterius ornas, ex animo precor.

Hagæ-Com. xij. Kalendas
Martii, c'c' Io cci.

FREDERICI RUYSCHII RESPONSIO

Ad Clarissimum Virum

MAURITIUM à REVERHORST,

Med. Doct. & Anatomiae Professore,

Super Nova Artuum decurtandorum Methodo.



itteræ Tuæ, Vir Clarissime, & longe charissime, ad meas quidem pervenerunt manus; arduum autem mihi erit, nodum, in iis propositum, dissolvere: Si enim ulla in re iudicium difficile sit, ut ait magnus

us ille senex, certe illa, à Te exhibita, haud exiguam ha-
tenus crearunt Medicorum filiis molestiam.

Quod ad relationem attinet, de operationibus Lithotomi-
cis, Hagæ Comitum, à Fratre *Jacobo Beaulieux* institutis, jam-
diu est quod veram hujus rei relationem desideravi. Gratulor
quod inter 13, quos à calculo Vesicæ, Herniaque liberavit,
2 tantum fatis concefferint; quot hic Amstelodami, post cal-
culi sectionem evalescere, ex relatione, typis mandata, cer-
nere quoque licuit.

Novam methodum amputandi membra quod spectat, in eo
varia considerata veniunt, quæ, si conferantur cum anti-
quo extirpandi modo, longe inter se differre, palam erit;
Uter horum sit præferendus, Tibi, aliisque in Anatomicis &
Chirurgicis versatissimis, judicandum relinquam; ego interim,
quid sentiam revelare non detrectabo, postquam succincte re-
tulero operationem non solum, in juvenis brachio institu-
tam, in Tua, mea, & aliorum præsentia, verum etiam quic-
quid in curatione sese obtulerit, in qua Te præsentem siste-
re haud potuisti.

Juvenis quidam, cui nomen Christianus Veldmet, 16 an-
nos præter propter natus, nuper ad nostras venit ædes, cor-
reptus non solum tumoribus magnis in dextra, verum etiam
sinistra manu, uti & in utroque pede, eorumque digitis, qui
tumores admodum duri, extrinsecus accurate Radices Cyclami-
nis, aut potius Chrysanthemi Americani, radice tuberosa,
æmulabantur, sicuti in annexis figuris repræsentantur.

Hujus mali causam nobis expiscantibus, retulerunt ægrotus;
ut & anus quædam, quæ dicebatur ejus matertera, quod
mater imprægnata impense appetiverat dictas Radices Chry-
santhemi Americani, quas tamen impetrare haud potuerat;
foetu jam in lucem edito reperti sunt, uti aiebat anus, exi-
guî tumores in manibus atque pedibus, qui temporis successu
in tantam excreverunt molem, præsertim in sinistra manu,
ut brachium diutius sustinere vix potuerit, imo coactus fue-
rit dextra sinistram suffulcire. Tandem, cum unus ex istis
tumoribus ulcerosus factus, emisisset aliquoties multum san-

guinis, & patiens manus ponderositatem, doloresque immunes diutius perpeti haud posset, totius manus extirpationem nobis proposuit. Nos autem, consideratis considerandis, annuebamus quidem ejus petioni, ast vero absque Magistratu consensu, variorumque Expertissimorum Medicorum & Chirurgorum adstipulatione, operationem non aggressus est Magister Petrus Verduyn, auxiliantibus ejus Filio, ut & genero Gomaro à Bortel.

Die igitur constituta ad dictæ manus amputationem, præfens fuisti Clariss. Vir, præsentibus quoque sese sistere Medici expertissimi Vlackveld, Smedingh, Schyn, Valentyn, L. Grue, Smit, nec non exercitatissimi Chirurghi, Aurick Deutelius, Pothuysen, &c. Patiens brodio confortatus, admodum erat animosus, operationemque perpeßus est ferè absque ejulatu, ut omnes, qui operationi interfuere, admirati fuerint.

1. Humeri pars superior circum ducebatur splenio quadruplicato, superimposito splenio longitudinali, lateri interiori brachii & quidem secundum longitudinem, ut hujus & funiculi seu cinguli constrictorii ope, vasa tutius & minori cum noxa inter operationem comprimi possent.

2. Hoc factò D^r. Smith Hafniensi injungebatur cingulum constrictorium bacilli ope leniter, & in operatione ipsa, fortius contorquere, partim ad sanguinis profusionem inhibendam, partim ut pro tempore, brachii stupor excitaretur, dolor arceretur.

3. Ansa gracili arcte circumducebatur cubitus infra juncturam. Hisce peractis, Magister van Bortel, gener Magistri Petri Verduin, partem musculosam sinistra arripiens, dextra cultello ancipiti & mucronato eam perfodit, quam proximè fieri potuit, ad ossa cubiti & radii. Hæc initio factum latere interiore Brachii, quem locem quoque occupabat Cingulum perator dictus. Perfossa parte musculosa, cultrum ulterius adegit, incisionem continuando donec sufficere videbatur pro vulneris tegmine, & sic ulterius transversim carnem abscindebat: Porro Magister P. Verduyn cæteram partem carne

tam circulariter & celeriter incidebat cultro falcato ad ossa usque, & periostio abraſo, utrumque os ferra dividebat: Interim ne caro propendens a cultro aut ferra offenderetur, Mag. Adrianus Verduyn prospiciebat.

Manu amputata & spongia madida rasura ossium ablata, vulnus, & per consequens utriusque ossis extremitas tegebatur quidem à dicto Magistro carne propendente & reservata; ast vero propter carnis contractionem, quæ illico fit post incisionem, totum vulnus ex voto contegi haud potuit: itaque, quod restabat vulneris, ut & totius membri amputati truncus frusto plano fungi Orbicularis, obducta & contacta fuerunt, superimposita Vesica madida, & super eam altera madefacta, quæ priori aliquanto major erat, Hæ binæ Vesicæ, ut firmitus cuti adhærerent, comprimebantur & stabiliebantur circulariter frusto Emplastri conglutinantis, cujus latitudo erat unius unciae, longitudo autem Spithamarum duarum.

Hoc facto tertia quoque Vesica madefacta superimposita fuit, hæmorrhagiæ metu. Isthæc præcedentibus longior & eodem modo stabilita altius brachium coöperuit.

Hisce ita munitis, lamina concava, splenio quadruplicato intus obducta, membri extremo applicata fuit, ea intentione ut deligatione peracta, famuli manu lamina comprimeretur truncus, hæmorrhagia inhiberetur, & ligaturam laxius applicare liceret; ut autem dicta lamina cava trunco cohæreret, duo frusta Empl. conglutinantis cruciatim adhibita sunt, ejusdem naturæ ac supra citatum. Hisce peractis & cingulo constrictorio (Gallice *Tournequet*) dissoluto, membri extremo applicatum fuit alterum splenium ex linteo confectum, præcedenti majus & crassius, illudque firmatum fuit fascia simplici capite prædita.

Deligatione ita peracta composuit se patiens in lecto ad quietem, quam ut facilius acquireret, Emulsio ex hordeo ad Crep. cocto, Sem. Cucum. & Amygdal. præscripta fuit, addita Syr. Diacodii dimidia uncia; sub noctem lese mediocriter habens & alimentum petens parum dicti brodii exhibitum fuit;

fuit, & sic sese ad quietem composuit, noctemque transegit satis tranquillam, nullo sanguinis profluvio suborto

Die insequente brachium bene videbatur constitutum, nullo tumore insigni oblitum, patiens quoque immunis ab omni febre.

Hisce visis consultum duximus, patientem ex ædibus Magistri Verduyn transferre in locum quietiorem ubi illum inviserunt Magister van Bortel & Verduyn, qui deligationis exteriora abstulerunt, vulnusque mitius deligarunt, id quod levamen patienti adferebat. Tertia die sub meridiem integra deligatio simul cum Vesicis ablata fuit, invenimusque separationem Epidermis, seu Hydatidem onustam humore loturæ carnis æmulo, idque parte anteriore juncturæ cubiti, eaque aperta, reperimus sublitam cutim nonnihil quoque infectam & gangrænam ulteriorem mentientem: eodem quoque tempore patiens non immunis erat ab omni febre, & membri extremitas justo magis tumefacta: Vulnus tamen magna ex parte carne, quæ in amputatione conservata fuerat, coopertum invenimus, sine sanguinis profluvia. Quia autem omnis hæmorrhagiæ novæ metus nobis nondum erat ademptus, in deligationis renovatione haud omissus fuit Fungus Orbicularis, munitus Empl. Diapalma dissoluti, splenio quadruplicato & ligatura convenienti.

4. Die pulsus invenimus concitatiores, & vulnus non minus extumefactum, itaque ablato fungo leniter tantum adducebatur caro in amputatione conservata, idque fasciola Empl. glutinosa oblinita, vulgo futura sicca dicta, porro totum vulnus tegebatur Empl. Diapalma dissol. plumaceolis, ex linteo carpo confectis, haud neglectis. Die insequente quæ erat quinta ab amputatione, res eodem fere modo sese habuit, nec febris quoque mitior facta: itaque eodem ritu remissius deligatum fuit vulnus, at vero eo loco, ubi Gangrænæ metus fuerat, sc. circa juncturam cubiti, Gangræna jam prodiit levis, quapropter consultum videbatur cautius prospicere huic symptomati, quam trunci integumento carneo: itaque lenissime tantum adducta carne reservata, Cataplasma ad Gangræ-

grænam sistendam applicatum fuit. Die insequente vulnere prospeximus digestivo Cataplasmate superimposito: die autem 7 truncus non nihil detumuit & vulnus quoque humidius apparebat, interim locus, Gangræna obsessus, magis magisque intumuit, doluitque, nec patiens à febre immunis, ita ut magis metueremus abscessum quam Gangrænam profundiorē, qui tamen haud supervenit. Altera die, eodem modo res sese habuit, excepto, quod nonnihil mollior pars tumefacta nobis obveniret, die autem 9 haud pejus res sese habuit quoad truncum, Gangræna vero in pejorem statum erat redacta: Itaque post ablutionem cum Sp. Vini calefacto factam, applicati sunt plumaceoli, tetrapharmaco cum digestivo permixto, illiti, nec non in Sp. Vini humectati, superimposito Cataplasmate, Spirit. Vini asperfo.

10 Autem die febris remissior facta, trunci vulnus pure cocto oblitum, Gangrænae tumor quoque minus durus: hoc tempore nihil immutatum fuit circa deligationem, patiens vero eodem die, prima vice questus fuit de dolore pollicis membri detruncati, & præsertim quidem, cum inopinato pollicem extendere conaretur aut mentiretur, non autem cum in animo haberet eum flectere; de cæteris digitis nullæ erant querelæ, illud enim distincte interrogavimus.

Die undecima major spes affulgebat, quandoquidem omnia in melius vergebant, pus enim laudabile promanabat de vulnere trunci, tumor diminutus, escaræ periphæria humida cum aliquali separatione: in hac renovatione omissa fuit Cataplasmatibus applicatio supra truncum, non autem supra partem Gangræna infectam: Caro autem reservata, quæ ob symptomata supra citata, haud satis erat adducta, & propterea retracta, jam denuo fasciis Emplastro Glutinoso oblinitis reducta & vulnus maxima ex parte coopertum fuit.

Die 12 patientis status non erat quidem deterior, sed vero Gangrænam profundiores egisse radices, videbamus, utpote separatione partim facta, imo tendines musculorum non fuisse immunes à dicta Gangræna, ita ut varii quoque separarentur. Jam à Cataplasmatibus usu destitimus, dicto loco

prospeximus digestivo, & carnem reservatam dictis fasciis, ut antea, adduximus.

Die 13. patiens immunis erat ab omni febre, placide dormiverat, cibum appetebat, truncus carnis adductione maxima ex parte coopertus erat, & quod restabat vulneris, applicuimus Unguentum, *fac totum*, dictum, ut cicatrice ulterius obduceretur vulnus: quicquid autem emortuum & Gangræna infectum fuerat sub cubiti juncturam, partim forcipe excisum, partim à natura separatum erat, adhibitis pluma-ceolis Ung. Digestivo, Basilico perimcto, oblitis Diebus insequentibus melius atque melius sese habere coepit patiens; imo paucis post diebus prorsus fuerunt curatæ dictæ solutiones continuæ, quin etiam quo magis appropinquarent earum curationes, eo majores erant querelæ de dolore amputati membri, & nunc quidem circa volam manus, nunc vero de dolore totius manus, & quoties quis leviter tantum comprimeret cicatricem infra juncturam, ubi Gangræna fuerat, summis cruciabatur doloribus; interrogatus, qua in parte? regerebat in digitis amputatæ manus, compressa autem in parte dictæ cicatricis confinio, nullum sentiebat dolorem.

2. Consideratione dignum esse censeo, nos nullam sensibilem separationem extremitatum ossium cubiti, & radii in curatione offendisse, quia minus aëris injuriis expositæ fuerunt dictæ extremitates ossium.

3. Comprimendo trunci extremum, cicatrice obductum, dolor sursum vergebat versus brachium.

4. Truncum flectendo, sibi imaginabatur, quod simul quoque digiti flecterentur, idque sine ullo dolore: pollex vero videbatur illi rigidus & sine motu.

5. Quum dextra fricaret, supra juncturam trunci, idque parte exteriori, dicebat nobis, sese non solum sensum motumque hujus fricationis in digitis membri detruncati percipere, verum etiam cum fricaret sese in latere Thoracis sinistro: id quod (quamvis non obscure nobis arguere videatur consensum membranarum, nervorumque in corpore nostro,) magis mirandum, quam explicandum.

6. Con-

6. Contractionem singularem præstare poterat in trunci cicatrice; quam quasi corrugabat, dicens, jam mihi videor digitos flectere, jam denuo extendere.

Hiscæ à nobis observatis, impofterum expiscandum, utrum dicti dolores, quos videbatur passus in manu extirpata patiens, & à quibus haud immunes sunt homines, quorum artus vulgari modo extirpari sunt, semper superveniant patientibus, quibus eo, quo retuli modo, extirpata fuit manus, an vero hisce ansam dederit Gangræna, circa cubiti flexuram prognata, an ex alia causa ortum duxerint, occasione data inquirendum esset, quando quidem Magister Petrus Verduyn testatur in Epistolari sua Disertatione, sese quidem bis hanc operationem in pede instituisse, idque eadem methodo, & quod tales dolores Sympatheticos nondum offenderit. Verba ejus hæc sunt: *Denique silentio præterire non possum aliud quoddam emolumentum, nequaquam poenitendum; nimirum quod hoc modo restituti non conquerantur, ut quidem alii, de dolore sympathetico in pede cruris ablari, &c.*

Hæc sunt Cl. Vir, quæ nobis in, & post exstirpationem; observare licuit. Quid autem de hac exstirpationis methodo sentiam, à me scire cupis, in qua, ut recte censes, *curatio non tam diuturna, neque dolor post exstirpationem tantus, nec tum quoquo talis hæmorrhagiæ metus, nec ossis separatio expectanda venit, & nervi nervosæque partes, tendines, eorumque fibræ, & vasa ipsa jam tecta, & à frigore cæterisque molestiis & incommodis externis ab applicata Musculorum partium mole satis conservata videntur, &c.*

Hiscæ concessis, ut revera concedenda esse putem, amplectenda videtur hæc nova extirpandi methodus.

Fateor quidem in manus aut brachii amputatione nos semper sollicitos esse, ut tantum membri conservetur, quantum fieri potest, quia ad nonnulla munera obeunda illud interservire potest, & si velimus tuncum membri amputati mole carnea tegere, quæ in cubiti extremo nimis exigua, quam ut ea contingi possit, necesse foret in altiore loco membrum decurtare, sicuti, ut fateor, in hoc patiente factum. Verum enimvero in postero minus sollicitus ero de coöpertione trunci carneâ mole;

mole; existimo enim sufficere, si truncus tegatur cute manus, quæ toto dorso vel vola manus separari & conservari posset; Contra in pedis exstirpatione necesse est partem detruncatam carne furali integere, uti olim factum à Magistris Exercitatis. Petro Verduyn, Wilhelmo à Vleuten, & Adriano Coenerdingh; dico *necesse esse*, sc. si per insitionem curari, & parti detruncatæ, non vero genu insiltere atque incedere velint homines: caro enim reservata mutilatæ parti pulvinaris loco est.

Circa hancce hætenus inusitatam amputandi methodum, nonnulla adhuc consideranda veniunt, &

1°. Quidem, si in crure facta operatio, & patienti in animo sit per insitionem ulterius curari, an non obstaculo erunt excreſcentiæ seu exostoses, quæ in homine vegeto observantur aliquando è trunco emergere.

2°. Si in cubiti extremo instituenda sit operatio, an cutis, quæ in manu est, sufficiens est pro vulneris integumento?

3°. An in nova hac methodo major aut minor gangrænæ supervenientis ansa detur.

Quoad 1^{mum}, nempe ossium excreſcentiam: Resp. in cubiti aut manus amputatione non est cur de ea solliciti simus, membro enim detruncato non incedit homo: verum enim vero in amputato crure ejusmodi excreſcentiæ admodum nocivæ forent, hæ enim carnem conservatam compungerunt incedendo continue, si nempe per insitionem ulterius incedere vellet pateriens. Hoc incommodum si Magister Petrus Verduyn intercurandum inhibere valeat, (sicuti affirmat) idque suo apparatu novo, soluta est isthæc difficultas.

Demonstravit quoque nobis puerum, qui crure amputato. crure artificiali incedit, currit, genu flectit, extenditque pro lubitu. Vide ejus dissertationem Epistolarem de nova Artuum decurtandi ratione Anno 1696. in lucem editam; in qua exhibetur instrumentum retentivum; ut & lamina excavata, quibus facta amputatione in pede aliquod post diebus, cum dicta excreſcentia metuenda sit, trunci extremum ita comprimitur, ut illud incommodum inhibeatur.

Quod ad 2^{dum}. attinet, sc. an cutis manus sufficiens sit pro vul-

vulneris integumento, propter retractionem cutis? Resp. si non sufficiat omnino, saltem magna ex parte truncum coöperiet, id quod de vulgari amputatione dici non potest, & quo magis nervi, tendinesque abscissi proprio tegmine conteguntur, eo remissiora exspectanda symptomata; præterea curatio citius quoque absolvetur; imo Auctor essem, ut in eo casu carnosum & cutaneum volæ manus arriperemus, & in auxilium vocaremus, pro trunci nervorum ac tendinum tegmine. Præterea amputato membro Chirurgi applicare assolent pulv. adstringentes, quos inter varii Pulv. Escarotica recipiunt ad sanguinis hæmorrhagiam inhibendam, id quod plane rejiciendum censeo, propterea quod illi sua acredine nervosis partibus nocere valeant: in hac autem operatione tale quid non adhibetur, sed vulnus tegitur proprio involucro.

Quod ad 3^m. attinet, sc. an in hac nova methodo major aut minor Gangrænæ metus adsit? Resp. si non minus Gangrænam minatur operatio isthæc nova, saltem haud major erit hujus symptomatis metus, modo deligatio rite peragatur. Fateor quidem illam in supradicta curatione nobis obvenisse, verum illud non in trunci extremo, verum circa cubiti flexuram sedem fixit; forsitan à ligatura, justo arctius circumligata, id quod multum negotii nobis faceffivit, & hoc præcaveri poterit in posterum, præstabitque laxiorem adhibere ligaturam, & per hoc ut æqualius fieri possit, in auxilium, ut dixi, revocanda lamina excavata, quæ ante compressionem applicanda.

Pergam ulterius ad ea, quæ Cl. Vir me admonet, sc. brachii amputati conservationem, ut & naturali magnitudine delineationem, *cum alias judicium tam accurate ferri nequeat, uti in Marco Aurelio Severino, de Nov. observ. abscess. similem fere casum proponente, liquido apparet.*

Recte adstruis, objecta naturali magnitudine semper esse delineanda, si quis proposita accurate demonstrare satagit, & hoc quoque in omnibus meis Epistolis Anatomico-Problematice observavi Est mihi in animo hanc manum amputatam ita sepelire, ut quicquid in figuris expressum fuerit, semper demonstrari possit. Porro unum ex istis tumoribus in manu exist-

stentibus, ut me monuisti, examini subjeci, reperique, illum neutiquam esse Glandulosæ indolis, ast Cartilaginosa, imo & Osseæ, eratque quasi ex innumeris minoribus tumoribus partim Cartilaginosis, partim Osseis, compositus; singuli autem eorum denuo ex innumeris minoribus humore succoso, gelatinoso repletis Vid. Tab. XVIII. fig. 2. Impossibile autem mihi fuit indagare, an ex ossibus manus, tendinibus, aut perioestio, tanquam ex fonte, & prima scaturigine originem duxerint: Omnia enim ita sunt confusa & connata, ut ulteriori indagini haud fuerit locus; cum illud perscrutarer, sub cute conspicienda sese exhibebant vasa sanguinea, quæ cum ceracea materia replevissem, distincte videre licuit eorum cursum, & capacitatem: Venæ per dorsum manus disseminatæ, calami scriptorii capacitatem adæquant: horum ramuli minutissimi à naturali cursu quoque recedunt, quin etiam circa cutem observatu dignum esse cenſeo, sc. quod cutis in hac ingenti tumorum excreſcentia, tenuior facta aliquid visui offert, quod in cute sana non tam accurate occurrit: Imo cutis de sua integritate & compositione aliquid in via amittit, quod cutis incrementum inſequi non potest. Id quod jam sese videndum luculenter exhibet, sunt papillæ cutaneæ, extra cutem nonnihil protuberantes: Vid. Tab. XVII. Fig. 4. ut & Fig. 5. Lit. C. ubi ordine naturali dispositæ: illud autem, quod in excreſcendo amittit cutis, sunt eadem papillæ cutaneæ, quæ circa basin tumorum, non in apice videri poſſunt. Plura ob cœli ſerenitatem non addam, illa enim me invitât, ut hiſce diebus æri incidi curem, quæ in ſtomachi ſtructura ab aliis nondum ſunt detecta. Præterea multum moleſtiæ mihi creavere hiſce diebus, quæ in oculo adhuc ſunt oſtendenda, puta vasa ſanguinea per tunicam humoris cryſtallini diſſeminata, &c. hæc enim Theſauro ſecundo inferere mihi in animo eſt. Hiſce Vale, Vir Celeberrime, & ut artem Anatomicam magis magisque nobiſcum promoveas, ex animo optat, Celeberrimi Nominis tui

Amſtel.
10. Juny 1701.

Cultor
FREDERICUS RUYSCHII.


TA.

1875. 827





AT
INV. 1870





Hübner sculpit.

Vind. Taf. 71.

TABULÆ XVII Expositio.

FIGURA I.

- | | |
|---|----------------------|
| A. Pars Brachii amputati cum manu,
in qua pars supina videri potest. | D. Digitus Medius. |
| B. Pollex. | E. Annularis. |
| C. Index. | F. Minimus |
| | * Arteriolæ cutaneæ. |

FIGURA II.

Digitum exhibet parte supina, cum suis papillis cutaneis, ordine debito sitis.

FIGURA III.

Demonstrat digitum parte prona.

- | | |
|--|--|
| A. Papillæ cutaneæ epidermide destitutæ, & confuso ordine compositæ. | B. Pori cutanei, situ, nullum ordinem servantes. |
| | C. Papillæ cutaneæ naturali ordine sitæ. |

Circa has Papillas considerandum. sc. eas epidermide artificiose destitutas extra cutem nonnihil prominere.

TABULÆ XVIII. Explicatio.

FIGURA I.

Demonstrat partem Brachii supracitati cum annexa manu, parte supina.

- | | |
|--------------------|----------------------|
| A. Pollex. | D. Tumor maximus. |
| B. Digitus medius. | E. Ulcus. |
| C. Index. | * Arteriolæ cutaneæ. |

FIGURA II.

Representat Tumoris maximi portionem abscissam, ut constitutio intrinseca compareat, quæ partim cartilaginea, partim cartilaginosa substantiæ æmula, cellulosa, & mucaginosa.

TABULA XVII. Explicatio.

FIGURA I.

D. Dignus Medicus.
E. Annulus.
F. Minimus.
G. Anterior columnae.

FIGURA II.

in exteriori parte facies, cum suis papillis carnis, ordine sitis sunt.

FIGURA III.

Dantoficet dantoficet dantoficet.

B. Peri carnis, tum, nullum ordinem, & confusio ordinis com.
C. Papillae carnis naturalis ordinis.
Hic.

et per papillas confusio ordinis, et per papillas confusio ordinis.

TABULA XVIII. Explicatio.

FIGURA I.

in exteriori parte facies, cum suis papillis carnis, ordine sitis sunt.

D. Tumor carnis.
E. Tumor.
F. Anterior columnae.

FIGURA II.

in exteriori parte facies, cum suis papillis carnis, ordine sitis sunt.